



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXIV. Argumentum. De gravitate criminis Simoniaë, & de ejus poënis tam si sit realis, quàm conventionalis, aut confidentialis in beneficiis, seu cum examinadoribus Synodalibus, Casus duo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

dict. qu. 4. §. 17. num. 7. ubi concordantes adducit & præcipue, quia est aliquid spirituale, ex quo Pensionarius tenetur recitare saltem officium parvum Deiparæ. Altera, quæ affirmat, licitam esse extinctionem anticipatis solutionibus absque prædicta licentia Summi Pontificis, quam sustinent Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 8. num. 48. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 22. num. 124. & Loter. lib. 1. de Re benefic. quest. 42. & lib. 3. quest. 29. num. 81. & seqq. ubi probat, Pensionem habere quidem contiguitatem, & coherensionem quandam beneficio, super cujus fructibus est imposita, sed non esse annexam inseparabiliter Juri spirituali ejusdem beneficii; prout est Juspatronatus, quod ex eo cognoscitur, quia si extinguatur, titulus ille beneficalis vel per suppressionem, vel per unionem, adhuc Pensio integra remanebit, tanquam fundata in mera temporalitate fructuum absque ulla spiritualitate; prout vice versa extincta Pensione non extinguatur beneficium; & ideo num. 88. subdit pactio de extinguenda pensionem non potest dici Simoniacæ; Et num. 90. & 91. docet, onus recitandi officium non esse factis ad inducendam spiritualitatem in Pensione, nisi data esset in titulum beneficii Ecclesiastici. Bursat. conf. 178. num. 28.

Prima opinio est securior; at secunda est usitator; & ego vidi utramque praticari; & licet aliquando hæsitaverim circa opinionem Loterini, hodie absque scrupulo amplectendam censeo, fultus auctoritate S. Rotæ Romanæ, quam allegat Theaur. Fori Ecclesiast. part. 2. cap. 7. num. 74. Vivian. de Juspatronat. lib. 13. cap. 9. num. 47. & tenet novissime Tondut. de Pensionibus cap. 17. num. 24. & 25. qui num. 29. subdit, quod onus recitandi divinum officium Gloriosissimæ Virginis est per accidens, & non mutat naturam Pensionis, quæ tota est temporalis, ac propterea concludit hanc secundam opinionem esse veriorē, & probabiliorē; illam tamen intelligendo de Pensione jam constituta, non autem de constituenda, quia hæc non posset extinguī anticipatis solutionibus, puta in actu collationis, vel resignationis beneficii; quia esset labes Simoniacæ, deficiente Papæ auctoritate; prout etiam si Pensio esset data in titulum beneficii Ecclesiastici, ut aiebat Loterius, hæc enim nequaquam redimi, vel extinguī cum pecunia posset sine Summi Pontificis licentia. Patet igitur ex his quid debeat Confessarius respondere.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quæ, & quanta sint motiva; quibus Ecclesiastici tenentur versari in Ecclesia summa cum reverentia, & modestia; ac celebrare devotè officia Divina? Dixerere. 1. Quia Ecclesia est domus Dei, & vocatur domus orationis, ac in ea Majestas Divina dicitur modo particulari adesse. 2. Quia realiter adit Christus Dominus in Eucharistia. 3. Quia Laici sumunt exemplum ab Ecclesiasticis ipsis, qui Spectaculum facti sunt mundo, & Angelis, & hominibus. 1. Cor. 4. 4. Quia Ecclesiasticorum irreverentia, & parva devotio est maximum peccatum, Dei maledictione dignum, juxta illud: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Jer. 48. 5. Quia ex officio tenentur ad summam devotionem habendam, quia de eis scriptum est: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est. Matth. 5. 6. Quia reverentia, & pietas Ecclesiasticorum auget devotionem populorum; de

quibus Parochus nostras pius, & doctus, scriptum reliquit:

Quidquid vident Laici nobis displicere,
Dicunt, proculdubio sibi non licere,
At quid nos operis vident adimplere,
Credunt esse licitum, & culpa carere.

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

De gravitate criminis Simoniacæ, & de ejus pænis tam si sit realis, quam conventionalis, aut confidentialis in beneficiis, seu cum examinatoribus Synodalibus. Casus duo Simoniaci, unus in ordine sacro, alter in resignatione beneficii. Quibus modis excitabitur in populis devotio erga Sacrosanctam Eucharistiam?

SUMMARIUM.

1. Simoniacæ labis gravitas.
2. Pæna octo contra Simoniacos in beneficiis reales.
3. Fructus beneficii restituendi à Simoniacis etiam ante sententiam. Et an ab aliis personis? Et cui?
4. Pretium Simoniacum restituendum pauperibus.
5. Excommunicatio Papalis contra Simoniacos.
6. Simoniaci incapaces beneficiorum.
7. Mediatores in Simonia sunt inhabiles ad beneficia.
8. Simoniaci puniendi, & prioribus beneficiis privandi.
9. Simoniaci infames sunt, & irregulares à solo Papa dispensandi.
10. Clementis Papæ Noni dictum de Cardinali Barbado Episcopo Patavino.
11. Simonia Conventionalis casus sex omnino sciendi.
12. Parochus de conventionali Simonia Patavii puniendus.
13. Re spirituali tradita, sed non pretio convento, an intrent omnes pæna contra Simoniacos lata?
14. Pretii pars si data sit, Simonia completa dicitur.
15. Fictio in promittente pretium an excuset à Simonia?
16. Confidentialis Simonia quando dicatur completa?
17. Quid sit Simonia Confidentialis?
18. Pæna quatuor Confidentialis Simonia.
19. Examinatores Synodales nihil recipere possunt pro examine.
20. Quas pænas incurrant, aliquid recipientes?
21. Donare aliquid Episcopo ordinanti an sit Simonia?
22. Pæna sex contra ordinantem & ordinatos Simoniacæ.
23. Simonia an sit in resignatione beneficii reservare sibi maturatos fructus de cætero exigendos?
24. Fructuum pertinentia pender à tempore collectionis, non autem debita solutionis.
25. Modi, quibus excitatur devotio erga Sacrosanctam Eucharistiam.

Ad infrascripta Quæsitæ, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerere.

Ad Primum. Quale crimen sit Simonia? esse peccatum mortale gravissimum, cap. Reperiuntur 1. quest. 1. Et pestem sui magnitudine alios animæ morbos vincentem. cap. Sicut. De Simonia. Sed Sapientiores addidere, Simoniam esse crimen publicum. cap. Tanta. De Simonia. leg. Si autem. C. de Episc. & Cler. unde commissum in quacunque materia, reddit condemnatum in Judicio infamem infamia Juris, & irregularem.

cap. fin. 1. quasi 3. ubi Gloss. & Turrecrem. Menoch. de arbitr. casu 401. num. 26. & Thesaur. de Pœnis pag. 2. Verb. Simonia cap. 1. Ubi notat, quod infamia, & irregularitas resultat in Simonia, etiam non expectata sententia, quando Simonia in eo est notoria; quamvis id limitet in Simonia beneficiaria secundum opinionem aliquorum, in qua necessaria est sententia. Sanchez in consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 104. num. 9. & 16. Ulterius Simonia licet mentalis tantum est punibilis in foro fori, si de ea probationes haberi possint. Mascari. de probat. conclus. 1310. numer. 23. & in foro poli obligat ad restitutionem pretii, quando acceptio ejus continet injustitiam. Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. de Simon. cap. 59. num. 44.

Quo ad Secundum. Quasi sint pœna ob Simoniam realem in beneficio? Plurimi plurima coarctarunt, ex quibus selectæ sunt sequentes pœnæ, tanquam veræ & Canonice, ac recentioræ à probatissimis Auctoribus.

Itaque Prima Pœna, ob realem Simoniam completam in beneficio, est nullitas dispositionis ipsius beneficii, ita ut ex electione, vel collatione, vel Institutione, vel nominatione, vel postulatione, vel præsentatione, vel resignatione, vel permutatione, nullum jus inde acquiratur in eo beneficio, & ideo retineri non potest à Provisore cum Simonia, sed ante omnem declaratoriam, illud dimittere debet. Extravag. Detestabile. §. per electionem. d. Simon. Et Bulla §. Sancti Pii V. incipit Cum primum §. 8. Et à tali obligatione mittendi non excusatur provisorius mediantes Simonia, neque per ignorantiam Juris, neque per ignorantiam facti, id est, si bona fide recipisset beneficium, nihil sciens de Simonia, (excepto quod, si per triennium possedisset cum dicta ignorantia facti, & bona fide, quia tunc eum suffragaretur Regula de Triennali, ut supra dictum est. Thesaur. de Pœnis de part. 2. Verb. Simonia. cap. 2. numer. 2. ubi DD.) & hæc pœna procedit tam in Simonia manifesta, quam in Simonia occulta. Suarez. tom. 1. De Relig. lib. 4. de Simonia cap. 57. num. 27.

Secunda Pœna est obligatio restituendi fructus perceptos ex beneficio Simoniacæ, & mala fide acquisito, etiam in foro conscientie, & ante sententiam declaratoriam. D. Extravag. Detestabile, & Bulla §. Pii V. Cum primum. §. 8. Suarez. d. cap. 57. num. 36. Quæ obligatio in subsidium afficit mediatores, & cooperatores Simoniacos. Ugol. tab. 4. De Simonia c. 8. num. 3. & 4. Imò etiam Confessarium, qui absolvendo Simoniacos fuerit causa, quominus fructus perceptos restituant. Quarant. Verb. Simonia. §. altera pœna. Restitutio autem fieri debet Ecclesiæ læsæ.

Tertia Pœna est obligatio pariter restituendi pretium Simoniacum tam à principali, quam à mediatoribus. c. de hoc cap. Audivimus. De Simonia. Et quidem ante declaratoriam, & restitutio est facienda vel Ecclesiæ, cui illata fuit injuria, vel pauperibus, secundum veriorum opinionem. Thesaur. ubi supra. num. 4.

Quarta Pœna est Excommunicatio Papalis, quam incurunt omnes complicæ, scilicet tam principales, quam mediatores quicumque ipsius Simoniaci. D. Extravag. Cum detestabile. §. statuentes. De Simon. Et D. Bulla §. Pii V. Cum primum §. 8. Diana pag. 4. tract. 4. resol. 151. Quæ in Co-

ordinato est tom. 5. tract. 7. resol. 22. Thesaur. ubi supra num. 5.

Quinta Pœna est inhabilitas ipsius Simoniaci 6 provisi ab obtinendum idem beneficium per Canoniam aliam provisionem, nisi dispensatus fuerit super priori Simoniaci ingressu, quantumvis occulto, vel ignorante. cap. penult. De elect. cap. De Simoniacæ. De Simon. D. Bulla §. Pii V. Garzias de benef. part. 8. capit. 1. numer. 56.

Sexta Pœna est inhabilitas tam ipsius beneficiarii Simoniaci, quam mediatorum ad quacunque alia beneficia obtinenda. D. Bulla §. Pii V. Garz. d. cap. 1. numer. 17. quæ afficit prædictos omnes ipso Jure, & ante Sententiam declaratoriam, ut pro veriori sententia tenet. Azor. tom. 3. lib. 12. cap. 21. in fin. Et Thesaur. d. cap. 2. num. 7.

Septima Pœna est privatio beneficiorum ante 8 Simoniaci labem obtentorum, quam Judex per sententiam ipsis infligere potest, eosque corporaliter punire. Antonell. de Regim. Eccl. lib. 6. cap. 18. num. 6. in fin. Tondut. Ref. benefic. part. 3. cap. 135. num. 23. & 24. Loter de Re benef. lib. 3. cap. 29. num. 161.

Octava tandem Pœna est Infamia, & Irregularitas, quibus affecti remanent omnes Simoniaci, dummodo tamen tales sint declarati, vel facti notorietate, vel Judicis sententia. Thesaur. ubi supra num. 8. & 9. ubi DD. qui subinde notat, quod à prædictis Pœnis, obligationibus, & inhabilitatibus nullus potest dispensare, nisi Romanus Pontifex, excepta excommunicatione in casu occulto, à qua Episcopus absolvere valet per Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de ref. ubi Barbosa. num. 12. idem Barbosa. de Jure Eccl. lib. 1. cap. 11. num. 142.

Hinc S. M. Clemens Papa Nonus anno 1667: 10 fisis eximia prudentia, & integritate Eminen- riss. Nostri Prasulis, eidem ex specialissima gratia concessit, ut etiam beneficiarios Simoniacos, impositis pro suo arbitrio salutaribus Pœnitentiis, ab omnibus supradictis pœnis posset absolvere, & ad reinenda beneficia habilitare; gratia quidem, & concessio insolita, sed non denegata Eminentiæ suæ: quam prælibatus Sum. Pontifex professus fuit, dignam credere, cui Claves Petri liberè committerentur.

Ad Tertium. Quasi sint Pœna Simoniaci Conventio- 11 nalis? Quia discordes sunt inter se Doctores, & super hoc quæsito vel obscure, & confuse scribunt; ideo DD. Parochi, & Confessarii neque concordēs neque satis responderunt ad illud. Quare pro recta intelligentia ejus, cujus cognitio plurimi valet ad redarguendas Simoniacas conventio- nales, si fortè ad aures sedentium in Confessionalibus perveniant, sex Casus sunt distinguendi.

Primus Casus est; quando Simonia conventio- nalis à neutra parte deducta est ad effectum, quia neque pretium traditum est, neque data res spiritualis; & in hoc casu contrahentes non incurunt pœnas, vel censuras ipso Jure inflictas contra Simoniacos. Marescot. Var. resolut. lib. 2. cap. 35. num. 24. & 25. ubi DD. & decis. Rota. Sed peccant mortaliter. Rota post Faviniacum lib. 1. Consil. Crimin. decis. 34. num. 5. Et possunt graviter puniri in foro fori pœna Judicis arbitraria. Suarez tom. 1. lib. 4. de Simonia cap. 55. num. 15. quia graviter, & scandalose de.

delinquant. *Antonell. de Regim. Eccl. lib. 6. cap. 18. num. 5.* Pro ut viginti jam ab hinc annis, cum ego munere Advocati Fiscalis in hac
 12 *Episcopali Curia Patavina* fungerer, in facto obtinui contra quendam Parochum, qui scripturam confecerat resignandi suum beneficium, sed convenerat, & pactus fuerat cum resignatario, ut is teneretur totam ejus suppellectilem, seu mobilia emere, & statim in pecunia numerata pretium refundere, cumque Curia formato processu relaxasset mandatum capturæ, & dictus resignans refugisset, & appellasset ad Metropolitanum Aquileiem. Ibi facta causa, Fiscus Curie Patavine victor fuit, nam judicata fuit Simonia conventionalis punibilis juxta supracitados DD. quibus adstipulantur. *Navar. in Manual. cap. 23. num. 111. Piascius in Praxi par. 1. cap. 4. num. 48. & Gomez ad reg. Trien. quæst. 12.*

Secundus Casus est Simonie Conventionalis, quando datum est ab una parte Pretium temporale; sed ab alia non est tradita res spiritualis. Et in hoc pariter casu poenæ, & censuræ ipso Jure latæ in Simoniacos non intrant; ut plenè probat *Suarez d. lib. 4. De Simonia c. 55. num. 12. & 13.* pluribus text. rationibus, ac præcipuè, quia donec res spiritualis contrectetur, non est satis completa irreverentia, quæ contra illam fit; *Tondut. resolut. benef. part. 3. cap. 160. num. 10.* Attamen utraque pars peccat mortaliter, & puniri potest à Judice, *Antonell. d. lib. 6. cap. 18. num. 5.* ubi subdit, dictum pretium Simoniacum esse restituendum ei, à quo accepit, ante sententiam Judicis. *Layman. lib. 4. tractat. 10. cap. ultim. §. 9. num. 79. & Diana part. 4. tractat. 4. resolut. 157. & 167.* Quæ in Coordin. sunt tom 5. tract. 7. resolut. 6. & 9. Sed post sententiam restitutio est facienda arbitrio Judicis, vel pauperibus, vel Ecclesiæ laxæ, vel alteri pio loco. *Graff. in Decis. Aureis part. 1. lib. 2. cap. 98. num. 7. Antonell. ubi supra num. 5.*

13 *Tertius Casus* est, quando ab una parte tradita est res spiritualis pro executione Conventionis Simoniacæ; sed ab altera parte non est traditum pretium. In hoc casu, maxima est discrepantia tam Theologorum, quam Canonistarum, quos longa manu cumulat, & refert *Gavias de benef. part. 8. cap. 1. à num. 16. & seqq.* ubi utraque opinio examinatur. Prima est poenas omnes, & censuras incurrì ipso Jure, licet non sit datum pretium, quod plenè probat *Sorus de Justit. & Jure lib. 9. quæst. 8. §. 1. & Toler. lib. 5. cap. 93.* ea potissimum ratione, quia traditio rei spiritualis cum promissione pretii est vera Emptio, & Venditio; ergo est vera Simonia, quod prosequitur etiam *Suarez d. lib. 4. cap. 55. num. 26.* Secunda opinio est, quod poenæ, & Censuræ contra Simoniacos latæ non habeant locum, nisi quando completa fuerit Simonia per traditionem pretii; & pro hac pariter rationes plures adducit *Suarez d. lib. 4. de Simon. cap. 56. num. 25.* quarum una est, quod poenæ infliguntur pro aliquo delicto, intelliguntur de delicto plenè, & ex omni parte consummato cum effectu. At in hoc casu Simonia non est plenè consummata, nondum data pretio. In hac celebri altercatione Doctorum, & rationum conflictu, DD. Parochi, & Confessarii ferè omnes remanserunt dubii, & irre-

soluti, quare Cura Episcopalis pro responsione ad Quæsitum duas assertiones firmat, Unam *Pacis Jordani Episcopi Tragurien. qui tom. 2. lib. 10. tit. 11. num. 35.* sic ait: Utraque sententia probabilis videtur, secunda quidem frequentior, & benignior; sed prior magis solida; & ni fallor, amplectenda; in odium præsertim tanti criminis: Ideo à sensu hujus Prælati non videtur discedendum. Alteram assertionem dat *Suarez lib. 4. cap. 56. num. 32.* & est in collatione ordinum, prævia Simoniacæ conventionis, poenæ de Jure infligunt statim afficiunt, etiam si nondum res temporalis sit tradita juxta *tex. in cap. penult. de Simonia;* & sic supradicta secunda opinio non potest procedere in Simonia conventionali circa collationem Ordinum.

Quartus Casus est, quando in Simonia Conventionali tradita est res spiritualis, pretium¹⁴ autem non est datum totum, sed una ejus portio tantum; & in hoc casu, omnes concorditer docent, habere locum poenas, & censuras contra Simoniacos in Jure statutas. *Suarez d. lib. 4. de Simonia cap. 55. num. 17. & cap. 56. n. 30. Pyrrh. Corrad. in Praxi Dispens. Apost. cap. 9. num. 5. & 6. Tondut. resolut. benef. part. 3. cap. 160. num. 6.*

Quintus Casus est, quando in Simonia Conventionali, qui pretium promittit, sicte pro¹⁵ mittit, nam habet animum decipiendi datorem rei spiritualis, & nihil ei solvere. In hoc casu non intrant censuræ, & poenæ infligunt de Jure contra Simoniacos; et sic recipiens peccet mortaliter, quia cooperatur Simonie alterius, & potest à Judice puniri. *Nihil Lucuprat. Civil. lib. 4. tit. 18. §. Simonia num. 22. Bonacina tom. 1. De Simonia disput. 1. quæst. 2. num. 8.*

Sextus tandem Casus est, quando Simonia est¹⁶ confidentialis, in quo, licet res temporalis non sit tradita, sed tantum promissa; per solam rei spiritualis traditionem intrant censuræ, & poenæ latæ contra Simoniacos, de quibus in quæsito sequenti. *Nicol. de tit. 18. num. 36. Parisius de confiden. quæst. 1. num. 150. & 159. Sanchez in consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 106. num. 5. & Tondut. d. part. 3. cap. 160. num. 11.*

Ad Quartum. *Qua sint poena Simonie confidentialis?* Præmiserunt, Simoniam confidentialem esse, quando beneficium aliquod Ecclesiasticum confertur, resignatur, permutatur, sive alio modo circa ipsum disponitur, hoc animo, ut beneficium ipsum, aut fructus ejus, aut pars aliqua ipsorum restituatur, vel reservantur conferenti, vel eligenti, vel presentanti, vel resignanti, aut alteri personæ, juxta beneplacitum prædictorum. *Jordan. lib. 10. tit. 11. num. 67. Layman. d. tract. 10. de Simonia. cap. ult. §. 8. num. 75.* contra quam emanarunt duæ Bullæ Pontificæ, Una *Pii Quarti 85. in ord. incipit Summum Pontificem.* Altera *S. Pii Quinti 45. exordien. Intolerabilis multorum perversitas;* in qua ulterius prohibita est conventio, & pactio, ut resignans faciat expensas pro resignatario, vel hic solvat expensas Bullarum pensionis pro regnante. *Navar. cons. 74. de Simon.* Poenæ igitur Simonie confidentialis¹⁸ sunt.

1. Nullitas cujuscunque collationis, aut provisionis beneficii, quod statim vacare intelligitur à die receptionis confidentialis, & ejus dispositio est Sedi Apostolicæ reservata.

2. Obligatio restituendi fructus quoscunque ex

ex tali beneficio perceptos Cameræ Apostolicæ, cui sunt debiti, & reservati in utroque foro.

3. Recipientes beneficia in confidentiam, si sunt Cardinales, Episcopi, vel Prælati incurrunt Interdictum ab ingressu Ecclesiæ; alii verò excommunicationem & utraque censura est Papæ reservata.

4. Tales confidentiarii privantur etiam aliis beneficiis antea obtentis, & sunt inhabiles ad alia obtinenda; prout ex dictis Bullis Pii Quarti & S. Pii Quinti explicat Parisius de Confid. qu. 22. Mascard. de Prob. conclus. 13. 12. & Thesaur. de Pœnis Eccles. par. 2. Verb. Simonia. cap. 3. ubi advertit, d. pœnas incurrere recipientes beneficia in confidentiam, non autem illa dantes, vel mediatores, aut Cooperatores, ut dentur: at hi incurrunt Censuras, & pœnas Simonie realis, quando beneficium juxta pactum, vel mentem confidentiæ transit in eum cui designatum erat Bonacina de Simon. q. 7. §. 1. num. 11. Layman. de Simon. num. 78. Illud ulterius advertendo, quod in Simonia confidentiali recipiens incurrat omnes supradictas pœnas, & censuras, licet res temporalis non sit tradita; sed solum res spiritualis recepta, ut antea diximus, excepta tamen pœna privationis aliorum beneficiorum antea obtentorum, quia hæc non intrat, nisi quando completur Simonia, & fit realis per implementum præstitum ab eo, qui beneficium accepit in confidentiam. Thesaur. d. cap. 3. in fine, Rota coram Verall. part. 2. decis. 260. & part. 3. decis. 358. Et mea Erotemata cap. 35. num. 19.

Ad Quintum. Quæ sint pœna Simonie in Examinatoribus in concursu ad Paracias? Rerulerunt verba Sacri Tridentini Concilii Sess. 24. de reform. cap. 18. ubi data forma examinis per concursum habendi coram Examinatoribus Synodaliibus, addit Caveant (ipsi) ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioqui Simonia vitium, tam ipsi, quam alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, qua quomodocumque antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.

Ex hoc decreto Conciliari si quid datum fuerit Examinatoribus Synodalibus pro examine ad Paracias, intrant sequentes pœnas.

1. Ipsi Examinatores sunt excommunicati excommunicatione illa, quæ lata est contra Simoniacos reales. Navar. cons. 67. de Simon. Thesaur. d. par. 2. Verb. Simonia cap. 4.

2. Provisus incurrat nullitatem provisionis illius Parochiæ, quam retinere non potest, sed in foro conscientie tenetur dimittere etiam ante declaratoriam. Ugo. de Simonia Tab. 1. cap. 48. §. 7. Thesaur. ubi supra cap. 2. & cap. 4.

3. Tam Examinatores, quam examinati incurrunt privationem aliorum beneficiorum per eos antea obtentorum. Thesaur. d. cap. 4. ubi tamen id intelligit, si sequatur contra eos sententia declaratoria juxta. Lessium cap. 35. num. 148. & Taner. part. 3. disp. 5. q. 8. num. 98.

4. Incurrunt inhabilitatem ad quæcunque alia beneficia. Thesaur. d. cap. 4. ubi observat, ad dictas pœnas incurrendas requiri Simoniam completam, id est, ut sit datum munus temporale ab examinato, & suffragium ab examinatore, & ulterius notat, parvitatem materis non excusare ob illa verba: Ne quidquam prorsus, quod latè demonstrat Garzias part. 9. cap. 2. num. 360. & 375. ubi Decreta S. Congregationis. Sed utrum Sacra & c.

nitentia possit absolvere, & dispensare cum Simoniacis? videantur mea Decisiones de Pœnitentia Decis. 48. sub num. 11. Vers. Decimo, ubi tenor Bullæ Innocentii Papæ XII.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam clericus, ut ordines Sacros susceperet, donavit munera argentea Episcopo ordinanti, & pecuniam Aulico Episcopi, ut facilius ordinaretur. Quæritur, in quas pœnas incurrerit ordinator, ordinatus, & mediator, post collatos ordines prædicto clerico?

Aliqui ob ly Donavit arbitrati sunt, neque Simoniam resultare, neque pœnis locum esse, quia donatio est actus gratitudinis, & quod sponte gratis datur, non dicitur Simonia, Bonac. eod. tract. quæst. 6. num. 1. & 3. Porro docti doctè dixerunt, donationem illam fuisse Simoniacam; tum quia est omnino prohibita ex Jure cap. De ordinationibus 115. l. q. 1. cap. 2. De Simonia. & Concil. Trid. Sess. 21. de Reform. cap. 1. ubi statuitur tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à Jure inflictas ipso facto incurrere: tum etiam, quia donatio illa non est gratitudinis ergo; sed, ut ea mediante sibi conferantur ordines, & sic intendit commutare illam cum istis, quod est Simoniam committere, ut bene ostendit Bonac. ubi supra disp. 1. q. 2. num. 9. & Fagnan. in cap. In ordinando num. 11. De Simonia, ubi notat S. Trid. Concil. d. Sess. 21. cap. 1. prohibere, ne ordinum collatores, & eorum ministri quovis prætextu aliquid accipiant, etiam sponte oblatum. Quapropter, cum supradicta datio, & receptio munerum excusari non possit à Simoniacæ labe; quo ad incursum pœnarum, responderunt, ut infra.

1. Ordinantem, ordinatum, & mediatorem incurrere in excommunicationem Papæ reservatam per Extravag. 2. de Simonia. Thesaur. d. Pœnis d. p. 2. Verb. Simonia cap. 9. num. 1. ubi DD.

2. Ordinantem esse perpetuò suspensum à collatione ordinum, & à Pontificalium exercitio, ac interdictum ab ingressu Ecclesiæ, per Bullam Sixti V. 61. Sanctum, & Salutarem, quæ censuræ sunt Papæ reservatæ.

3. Ordinatus pariter est suspensus perpetuò ab omnibus ordinibus d. Extravag. 2. & suspensio est Papæ reservata.

4. Mediatores non incurrunt suspensionem, excepto Archidiacono Præsentatore ex officio, qui est suspensus per triennium, si munera acceperit. Thesaur. d. cap. 6.

5. Si dictæ censuræ violentur, Episcopus suspensus est ab administratione Ecclesiæ, ac fructuum administratione, & incurrit irregularitatem: ordinatus verò fit irregularis, & amittit beneficia, quæ habet, si est secularis, regularis verò vocem activam, & passivam, Sæy. lib. 4. cap. 17. in fin.

6. Pretium receptum pro ordinibus est restituendum juxta veriorum sententiam. Thesaur. d. cap. 9. num. 5. Ubi notat à prædictis Censuris Episcopum absolvere non posse, quamvis in delicto occulto, vigore Tridentini Sess. 24. cap. 6. cui Sixtus V. derogavit expressè, ut advertit idem Thesaur. ubi supra, & Barbosa. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 11. num. 142. in fin.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam beneficiarius rogatus in mense Decembri à quodam, ut ei suum beneficium resignet, offert, se paratum, quando jure jurando resignaturus spondeat, relin-

relinquere eidem beneficiario ratas, pro fructibus hujus anni exigendas ad Festa Natalis Domini. *Quæritur, an hoc pactum sit Simoniacum?* Aegre tulit Curia, dum in figillandis Decisionibus debuerit plurimos fugillare Decifores, qui non benè examinato præfenti casu, eoque minimè intellecto, erranti calamo responderunt, dictum pactum esse Simoniacum, ac continere Simoniam Confidentialem. Porro doctissimi Parochi, quorum ingens numerus Ecclesias hujus amplissimæ Diocesis regit, summo cum gaudio Eminentissimi Præfatis, censuerunt, idem pactum ab omni Simonia labe purum existere, ac idèd licitum, & irreprehensibile fore. Pro hujus responsi justificatione, tria subtiliter observarunt. Unum, quod Simoniam non inducitur per pactum Juri conforme, seu continens id, quod de Jure tacitè inest, cap. Significasti, ubi gloss. & DD. De elect. Sanchez in opus. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 25. num. 9. Rota coram Buratt. decif. 445. num. 2. Alterum, quod in resignatione beneficii ad favorem, resignans percipit fructus maturandos usque ad diem possessionis resignarii, quia Jus, & possessio non abdicatur à resignante, sed penes ipsum remanet in pendenti, donec conditio, sub qua fuit resignatum, purificetur, ac Resignatarius plenè, ac perfectè etiam per captionem possessionis adipiscatur beneficium, Rota coram Coccino decif. 858. num. 5. Antonell. de Regim. Ecclesiarum lib. 3. cap. 10. num. 19.

24 Tertium, quod in dividendis fructibus inter resignantem, & resignatarium, sicut etiam inter successorem beneficii, & hæredes defuncti, si fructus fuissent antea locati, non consideratur dies solutionis affectus, sed tempus perceptionis fructuum pro quibus affectus solvitur; ita ut, etsi nondum advenerit dies solvendi ratam affectus, quando beneficiarius moritur, vel resignat; si fructus jam erant maturati, & percepti, rata affectus debetur resignanti, vel hæredibus Defuncti; non autem resignatario, vel successor in beneficium. Bonacina tom. 1. De obligat. benefic. disp. 4. punct. 3. num. 8. Antonell. ubi supra lib. 3. cap. 9. num. 22. Rota coram Cavall. decif. 104. num. 5. & 6.

His ita præcognitis, & consideratis, dixerunt dictum pactum nequaquam esse Simoniacum; imò licitum, & irreprehensibile; quia cum resignatio beneficii fieret in Mense Decembri (ut supponitur) fructus jam erant maturati, & collecti; sed ratæ affectus pro iisdem non solvebantur, nisi in Natali Domini pro majori commodò conductoris eorundem fructuum; idèd de Jure spectabant ad ipsum resignantem; tantò magis, quia resignatarius non poterat obtinere possessionem beneficii in executione resignationis, ante festa Natalitia, cum sint expectanda Bullæ Papales, & ab executore exequenda cum longioris temporis dispendio. Igitur licitè potuit dictus resignans exigere Juramentum à resignatario, sibi relicturo ratas pro fructibus hujus anni, exigendas ad Festa Natalis Domini; prout in terminis respondent Theaur. de Pœnis d. part. 2. Verb. Simonia, cap. 2. in fine, & Antonell. d. cap. 10. num. 20. & 21. Et ex his constat, allucinatos esse illos, qui dixerunt, esse Simoniam confidentialem, tunc enim fuisset, quando resignans pactus esset exigere fructus maturandos annis sequentibus post expeditam resignationem. Theaur. ubi supra cap. 3. num. 2.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Inveniantur omnes modi adhibendi à Parocho ad ex-25 citandam in populo devotionem erga Sacrosanctam Synaxim; Ut piè concurret ad eam sociandam præcipue quando desertur ad Infirmos.

Sequentes collegerunt. 1. Frequens prædicatione de hoc AUGUSTISSIMO SACRAMENTO, & affectuosa exhortatio ad ejus Venerationem; prævia explicatione eximie charitatis Dei in nos; nam nulla est natio tam grandis, qua habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Deut. 24. 2. Notas facere Indulgentias concessas à Summis Pontificibus in associatione SS. Sacramenti. 3. Ostendere, quam pium, & meritum sit hoc opus, in quo fulget fides nostra. 4. Proponere exempla Principum, & Magnatum terrenorum, quorum famuli, & Aulici tanta promptitudine eos comitantur in via. 5. Certos facere populos de Dei beneficentia in eos, qui venerantur Christum Dominum, verè, & realiter in Eucharistia existentem, & hujus rei exempla depromere ex Auctoribus Ecclesiasticis, utpotè Annalibus Cardinalis Baronii, ex libro Nicolai Laghi de SS. Sacramento, ex Rosignolo de SS. Sacram. & Mathiolo part. 2. 6. E contra enarrare punitiones, & vindictas in eos, qui indevoti fuerint erga Divinissimum hoc Sacramentum. 7. Enunciare odium, impias derisiones tum Judæorum, tum Novatistarum, quorum perfidiam supplere debet pietas, & devotio fidelis populi. 8. Proponere unicuique fidelium, in extremo vitæ Christum Dominum non esse permissurum, ut absque Divino Viatico ex hac vita discedat ille, qui fuerit sollicitus in obsequendo, & associando Sacram Hostiam. 9. Satagere, ut tam in Ecclesia, quam extra Divinissimum hoc Sacramentum pertractetur summa cum veneratione; & decencia; Idèdque Parochi omnes velint omnia pretiosa esse, quæ concernunt Sacram Eucharistiam, & erga illam sint liberalissimi expendentes in ornamentis sacris, ut eorum exemplo populi discant, Redemptorem Nostrium in Sacramento corde, & opere revereri, & venerari. Legant omnino P. Carolum Rosignolum Meraviglie di Dio nel Divinissimo Sacramento impressum Bononiæ Anno 1702.

D E C I S I O XXV.

A R G U M E N T U M.

Explicat præfens Decisio Quid sit Usura? Quare sic sit dicta? Quotplex sit? Et quot, ac quibus legibus sit prohibita?

S U M M A R I U M.

1. Usura definitio.
2. Usura unde dicta; & qualis ejus etymologia?
3. Usura quotplex sit.
4. Usura quo jure sit prohibita.

Usuraum materiam, Anno 1685. Clero Patavino enucleandam in pluribus quæstis, ac casibus propositam, prompto animo, ac indefesso studio aggressi sunt Animarum Rectores, ac Confessarii; ex quorum eruditis responsis Decisiones præfentes, etsi minori temporis Usura, quam opus fuisset, deprompsimus. Itaque quæsitum fuit primo. Quid sit Usura?

Ad hoc Primum Quæsitum, Quid sit Usura? 1 plurimi